



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Nemavense In Villa Portv. Adversvs Selvam Clericvm  
Hispanvm, qui archiepiscopatum Narbone[n]sem affectabat, a Theodardo  
archiepiscopo celebratum XV. Kalendas Decembris, sub annum Christi ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO  
CHRISTI  
.....  
**SYNODVS LANDAVENSIS  
SVB CIVEILLIAVC XXII.  
LANDAVIÆ EPISCOPO.**

*Aduersus Brochvail regem congregata.*

**S**CIENDVM est quod discordia facta est inter vtramque familiam Ciueilliauc episcopi & Brochvail filii Mouric apud Landauiam: & facta iniuria & incœpta a familia Brochvaili, motus est episcopus, & congregauit omnes clericos usque ad inferiores gradus, missis legatis per totam parochiam infra ostium Taratyr in Gui usque ad ostium Tyui. Et adunatis illis, voluit Brochvallum & totam familiam suam sibi forisfactam, & Deo exosam, propter suam nequitiam & iniuriam excommunicare coram omni populo in plena Synodo.

Et audiens Brochvail tantam summonitionem super se, quæsivit veniam & indulgentiam apud Landauiam: nec aliter habere potuit nisi sufferret canonicum iudicium. Et discussio iudicio, iudicatum est episcopo precium faciei suæ longitudine & latitudine in puro auro, cum emendatione facienda familiæ suæ ad condignum honorem suum, & nobilitatem parentelæ suæ. Et rex Brochvail iudicium sufferre non potuit, & alio modo aurum redemit, largiendo Deo & sanctis Dubrio, Teliau, & Oudoceo, & in manu Ciueilliauc episcopi villam *Tref Peren* cum sex modiis terræ, &c.

ANNO  
CHRISTI  
886.  
**CONCILIVM NEMAVSENSE  
IN VILLA PORTV.**

**ADVERSVS SELVAM CLERICVM HISPANVM,**  
qui archiepiscopatum Narbonensem affectabat, a Theodardo archiepiscopo celebratum xv. Kalendas Decembris, sub annum Christi DCCCXXCVI.

**E**x monumentis ecclesiæ Narbonensis constat, Theodardum post suscepsum anno DCCCXXCV. pontificatum, Romam mox adiisse ad Stephanum V. papam, ab eoque pallium impetrasse, &  
Concil. Tom. 24. B b b ij

literas contra Seluam quemdam, genere Hispanum, qui pro archiepiscopo se gerebat. Quae autem cogendæ aduersus illum Synodi causa fuerit, & quinam eo antistites conuenerint, docent ex iisdem monumentis excerpta quæ sequuntur. Selua clericus Hispanus, qui se archiepiscopum fecerat, electo Ingoberto Vrgellitano episcopo, qui a Sigebodo fuerat consecratus, in Gerundensi etiam ecclesia pro Seruo Dei, quem Theodardus ordinarat, alium constituit nomine Ermemirum, quem ordinarunt cum Selua Frodoinus Barcinonensis, & Gotmarus Ausonensis episcopi. Ergo ordinatores ad se venire iussit beatus Theodardus. Cum venire detrectarent, Synodus suæ prouinciæ ad xv. Kalendas Decembris indixit in villa quæ Portus dicitur, sita inter Magalonem & Nemavsum. Aduocavit & Prouinciæ episcopos. Adfuere autem Rostagnus Arelatensis, Matfridus Aquensis, Ermaldus Ebredunensis archiepiscopi, & cum eis Paulus Aptensis, Berengarius Massiliensis, & alii. Adfuit & venerabilis Theodardus habens secum Guilbertum Nemavensem, Gislerannum Carcasonensem, Elegium Albensem, Amelium Vceticensem, Abbonem Magalonensem, Bosonem Agathensem, Agilbertum Biterrensem, Riculfum Helenensem, Gotmarum Ausonensem, Ingobertum Vrgellensem, Seruum Dei Gerundensem, Bernardum Tolosanum, & Macarium Lutouensem. In hoc Concilio Gotmarus veniam petiit, a Sinuario comite se inductum causatus. Et post alia. Contra Seluam vero & socios, episcopi, qui Concilio aderant, Stephani papæ anathema renouarunt, nisi ante quadragesimam satisfacerent. Ad Sinuarium quoque comitem missa legatio, Gotmaro deferente, & benigne suscepta est. Cum enim omnia quæ gesta fuerant audiisset, regionis primarios conuocavit. adfuit etiam accitus Theodardus cum aliquot episcopis in ecclesia sanctæ Mariæ Vrgellæ. Ibi Seluam iuxta Canones, quia se extra metropolitani sui consensum ordinari fecerat, & Ermemirum degradarunt, scissis episcopalibus indumentis, baculis eorum super eorum capita confractis, annulis cum dedecore a digitis euulsis; Frodoino Barcinonensi venia, quam humiliter postulabat, concessa. Ita Narbonem reuersus est viator Theodardus.

STEPHANVS C. COLONIENSE. CAROLVS CRASSVS 565  
P. V. I M P.

ANNO  
CHRISTI  
886.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

\* *Concilium in villa Portu.* ] In iisdem Narbonensibus schedis aliud etiam memoratur Concilium Tolosæ a Sigebodo metropolitano aliquot ante annos habitum Iudeorum causa, qui se durius tractari querebantur, aduersus Bernardum Tolosanum episcopum, in coequo Concilio confutatos atque conuictos fuisse Iudeos a Theodardo nondum episcopo.

ANNO  
CHRISTI  
887. CONCILIVM COLONIENSE  
CONTRA RAPTORES RERVM ECCLESIASTICARVM,  
oppressores pauperum, & incestas nuptias, celebra-  
tum anno Domini DCCCLXXXVII. tempore Stephani papæ V.

TITVL CI CAPITVLORVM.

- I. *De Drogone prius electo episco-  
po Mimidonensi, nunc confir-  
mato.*
- II. *Anathema in schismaticos &  
raptore ecclesiarum, ni resipi-  
scant.*
- III. *Standum esse antiquis patrum*
- IV. *Ne quis res aut iura ecclesiæ  
vsurpet.*
- V. *De equitate horum decreto-  
rum.*
- VI. *De adulteris, & incestis. Tum  
de monialibus vitiatis.*

P R A E F A T I O.

ANNO incarnationis Domini nostri Iesu Christi, octin-  
gentesimo octogesimo septimo in ecclesia beati Petri  
apostolorum principis, indictione tertia, Kalendis Apri-  
lis, conuenerunt in vrbe Agrippinensi vna cum consensu  
gloriosissimi imperatoris Caroli, & Moguntinæ sedis Luid-  
berti archiepiscopi, Vwillibertus humilis eiusdem præfatae  
vrbis archiepiscopus, Franco Tungensis sedis episcopus,  
Odilbaldus Traiectensis sedis episcopus, Vulfelinus Mi-  
migarnafurdensis ecclesiæ episcopus, Drogo Mimidonen-  
sis ecclesiæ episcopus, cum consensu venerabilis Rimber-  
ti episcopi, præsentibus etiam bonæ deuotionis abbati-  
bus Neuolongo Indensis monasterii abbatæ, Andulfo  
Vverdinensis monasterii abbate, Folchario Aquisgrani pa-  
latii abbate, cum præfatarum sedium presbyteris & dia-  
conis.

B b b b iii